

35. asserit : motum primum esse determinatæ velocitatis ob determinatam virtutem primi motoris. (4.) denique accusant Aristotelem, quod virtutem DEI duratione tantum infinitam esse concedat, quia eum infinito movere tempore *L. 12. Metaph. c. 7.* asserat.

Th. III. Hæc verò nos non movent, quo minus calculo nostro affirmativam approbemus sententiam, dicamusq; Philosophum argumentis ex lumine naturæ petitis, infinitatem quoad essentiam de DEO adstruere posse. Hoc igitur assertum nostrum probandum assumemus. Deinceps verò quoque quid de locis Aristotelicis ab illis, qui à parte alterâ stant, pro stabiliendâ suâ negatione allatis, Peripatetici plerumque sentiendum esse putent, paucis ostendemus.

Th. IV. Præsupponendum verò hîc esse arbitramur (1) Essentiam Divinam, & ejus attributa quoad rem non differre, sed materialiter si spectantur identificari inter se. Quod in omnibus ferè Philosophorum Scriptis in concessis habetur. Idq; etiâ Philosophus acutissimus & proinde celebratissimus Dn. Prof. *Hundeshausen* Patronus & Præceptor meus ætatem suspiciendus, devenerandus, hinc inde cum in Scriptis publicis, quàm etiam privatis lectionibus docet & docuit. (2) quòd in Deum nulla cadat imperfectio, sed contra, quicquid perfectionem dicat simpliciter, rectè Deo tribuendum sit. Quod Philosophus, quâ Philosophus facilè concedit, ac id ipsum modò laudatus Dn. Professor *disputationis hujus Præses doctissimus in Palestrâ suâ disputatoriâ nuper publici juris factâ cap. XXII. de perfecto Thesi VII. p. 519. & seqq.* pluribus inculcat.

Th. V. Ex hisce concedendis igitur concessis sic argumentari licet: *Si nobis ex lumine nature innatescere potest, Deum esse Ens perfectissimum, omnemq; imperfectionem respuens, sequitur, quòd etiam eodem modo cognoscere possimus, Deum infinitum esse quoad essentiam. Sed verum est prius. E. & posterius.*

Prioris veritatem fortè nemo accuratiorum Philosophorum inficiabitur, Deum enim intellectus noster concipit sine revelatione divinâ ut ens simplicissimum, primum, & independens, cujusmodi conceptum quoque Aristotelem de Deo habuisse, Scripta ejus passim testari videntur. Ut adeò, nullum Ens Deo dari posse perfectius, rationis acumine perspicere nobis liceat. Consequentiam

am